



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLIV. Morietur antequam nubat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

CCCLIV.

Morietur antequam nubat.

Quidam nubilem filiam habens, uxorem secreto loquentem cum adolescente vicino formoso deprehendit, quæfivit, quid loquuta esset: respondit mulier, de nuptiis filia se loquutam. Ei maritus filiam despondit: mater ait, morietur antequam nubat. Ante diem nuptiarum puella subito perit: livores & tumores in corpore fuerunt. Mulier rea est.

S E R M O.

Dicet hæc mulier juvenem illum nunquam sibi placuisse, & repugnasse se, cum videretur illi puella destinari: illum autem utique volentem hanc uxorem habere, ad satisfactionem venisse, tunc verò minus placuisse matri generum. Itaque cum desponsam audisset filiam, quotidiana consuetudine vulgi iratam dixisse, *Morietur celerius, quam nubat.* Cæterum de fato puella, una cum accusatore queretur. ¹ *Causam fati crudelitati fingitur.*

CCCLV.

Tutor lenocinii reus.

Pupillus cum tutore agebat tutelæ, Tutor cum pupillo, adulterii. Remiserunt invicem actiones. Lenocinii tutor reus est.

S E R M O.

Fuisse quosdam utriusque inimicos, hic tutor dicet, qui ab initio moleste tulerint: non ipsis potius relictam esse tutelam: & quoniam ab hac præda exclusi sint, distulerint spes suas in diem ultimum tutelæ, ut rudem & imperitam pupilli ætatem fraudibus suis circumscriberent. Se autem tutelæ rationes, ut debebat, reddidisse. Cæterum metuentem, ne dimissus à se pupillus fraudibus & insidiis inimicorum circumscriberetur, velut alteram ejus tutelam gesturum, in domo retinuisse. Tunc vero consurrexissent illos, qui tutelam ipsis non commissam moleste tulerant, & graviter excanduisse, ne peracto quidem tutelæ tempore, à domo tutoris pupillum dimitti: nullam occasionem

¹ *Causam fati crudelitati fingitur.*] Malim, cruditati affinget. Pithæus.